

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Philistæi remittunt arcam in Israel cum quinque anis et totidem muribus aureis, ut supplicium anorum murium evadant. Plastro ergo eam imponunt, non ab equis, sed a duabus vaccis protracto, explorantes an vacca recta tendant in Israel, an alio deflectant, ut sciant an a Deo Israel, an casu hæc plaga eis acciderit. Vacca cum arca recta pergunt in Israel ad terminos Bethsames. Bethsamitæ eam excipiunt, et vaccus in holocaustum offerunt; sed ex eis Deus percussit 50 millia, eo quod curiosius arcam aspexissent. Quare Bethsamitæ arcam in Cariathiarim mittere destinant.

1. Fuit ergo arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus. 2. Et vocaverunt Philistiim sacerdotes, et divinos, dicentes: Qui faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt: 3. Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacnam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, et tunc curabimini; et scietis quare non recedat manus ejus a vobis. 4. Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi: 5. Juxta numerum provinciarum Philistinorum quinque annos aureos facietis, et quinque mures aureos; quia plaga una fuit omnibus vobis, et satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, et similitudines murium, qui demoliti sunt terram, et dabitis Deo Israel gloriam: si forte relevet manum suam a vobis, et a diis vestris, et a terra vestra. 6. Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus, et Pharaon cor suum? donec postquam percussus est, tunc dimisit eos, et abierunt? 7. Nunc ergo arripite et facite plastrum novum unum; et duas vaccas fetas, quibus non est impositum jugum, jungite in plastro, et recludite vitulos earum domi. 8. Tolleisque arcam Domini, et ponetis in plastro, et vasa aurea, quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus ejus; et dimitte eam ut vadat. 9. Et aspicietis: et siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minime; scimus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit. 10. Fecerunt ergo illi hoc modo; et tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plastrum, vitulosque earum concluderunt domi. 11. Et posuerunt arcam Dei super plastrum, et capsellam, quæ habebat mures aureos et similitudines anorum. 12. Ibant autem in directum vacca, per viam quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur pergeutes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram; sed et satrapæ Philistiim sequebantur usque ad terminos Bethsames. 13. Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle: et elevantes oculos suos, viderunt arcam, et gavisus sunt cum vidissent; 14. et plastrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, et concenter ligna paucis, vacasque imposuerunt super ea holocaustum Domino. 15. Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, et capsellam quæ erat juxta eam, in qua erant vasa aurea, et posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta et immolaverunt victimas in die illa Domino. 16. Et quinque satrapæ Philistinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illa. 17. Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philistiim pro delicto, Domino, Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum; 18. et mures aureos secundum numerum urbium Philistiim, quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam quæ erat absque muro, et usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat usque in illum diem in agro Josue Bethsamitæ. 19. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini; et percussit de populo

septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna. 20. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? et ad quem ascendet a nobis? 21. Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philistiim arcam Domini, descendite, et reducite eam ad vos.

Ver. 1. 4. SEPTEM MENSIBUS. — Ha Hæbreæ, Chaldæa et cæteri. Perperam ergo Josephus habet, *quatuor mensibus. In regione Philistæ.* Septuaginta, in agro, quod Theodoretus sic explicat: « Cum, inquit, nulla civitas auderet arcam excipere, eam foris reliquerunt sub dio; sic enim docuit Historiographus: Fuit enim, inquit, arca Domini in agro alienigenarum menses septem: postquam autem existimarunt foris manente arca se esse liberos a plaga a Deo immissa, intulit Deus supplicia etiam rebus inanibus. Immisit enim murium multitudinem in vites et segetes, qui omnes eorum fructus perdidit. »

Sic et Procopius: quod sic intellige, non quod plaga murium tum exierit, sed quod tum confirmata sit et aucta. Hinc colligitur arcam a Philisteis fuisse captam in septembri, qui mensis apud Hæbreos erat sollemnis et magna ex parte sacer. Eo enim præter festum Neomenia, celebrabant festum Tubarum, et Tabernaculorum per octo dies, item festum Expiationis, ac Crastus sive Collectæ, ut patet *Levit. xxii.* Quare illo mense omnia erant plena oblationibus et victimis, quas, quia violarant et profanarant filii Heli, ac multi e populo eos imitantes, hinc eodem mense voluit Deus capi arcam, ut eodem mense puniretur quo gravior in eam peccarunt. Id ita esse liquet ex eo quod arca capta fuerit in Philistæa per septem menses, quibus exactis remissa in Bethsames cum meteretur triticum, ut dicitur *vers. 13.* Hæc autem messis in Palestina fit in fine aprilis: jam computa retrogrado ordine septem menses ab aprili, et incidit in septembrem jam dictum.

Ver. 3. 3. QUID DEBETIS REDDITE EI PRO PECCATO. — Peccatum intellige ablata arce, ideoque irreverentia Deo Hæbreorum illate, præsertim in Philistinorum opinione et conscientia, ait Abulensis. Num alioqui si Philistiim justum contra Hæbreos gerebant bellum, non erat grave peccatum, cum rebus spoliis arcam quoque religiose transferre. Peccatum ulium verum et grave, ob quod a Deo flagellabantur, erat, quod ipsi arcam cum suo idolo Dagon collocassent, imo eam Dagoni subjecissent, et quasi trophæum dicassent: sed ipsi, utpote idololatæ et cultores Dagon, non aestimabant hoc esse peccatum; ideoque Deus eos percussit, ut inde discerent hoc peccatum aestimare, arcamque esse majorem Dagon.

Ver. 3. 3. QUINQUE ANOS AUREOS, ET QUINQUE MURES AUREOS, — quasi pæniculum plagæ anorum et murium, quo Deus Israel vos percussit. Sic solent offerri sanctis effigies membrorum, quorum sanitatem ab eis recipimus, quasi anathemata.

Tropologicè docemur hic peccata nostra licet pudenda coram Deo confiteri, ut hæc confessione quasi deaurantur. Audi S. Gregorium: « Quia ad pretium æternæ salutis peccatorum turpitudines atteruntur, flendo deaurantur. » Et post pauca: « Dum, inquit, commissa attentius legemus, in justitiæ splendorem membra deauramus. » Et mox: « Membra, inquit, deaurantur, cum corpus terrena et coenosa concupiscentiarum fœditate deforme in splendorem commutatur æternæ vite; cum videlicet per sanctæ conversationis pulchritudinem radiat, quod in appetitum mundanæ dilectionis peccatorum fœtore sordebat, » juxta illud Apostoli: « Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. »

SI FORTE RELEVET MANUM SUAM A VOBIS ET A DIE VESTRIS. — Hinc patet non solum Dagoem, sed et cæteros Philistinorum deos a Deo per arcam fuisse prostratos et afflictos.

7. ET RECLUDITE VITULOS (ad huc lactentes) EARUM DOMI, — retrahentes eos a matribus, scilicet a vaccis in itinere, ac in stabulum recludentes, ut indicant Hæbreæ et Septuaginta, ut videatis an vacca ad vitulos suos lactentes recurrant, an vero cum arca pergant in Israel. Hinc vaccæ erant « mugientes, » eo quod a vitulis suis avellerentur.

11. ET POSUERUNT ARCAM DEI SUPER PLASTRUM, — in trivio, ait Josephus, absque auriga, quinque satrapis Philistinorum spectantibus, et considerantibus quam viam sponte sua vaccæ inirent, an eam quæ ducebat in Israel, an aliam. Erant hæc sortes divinatoriæ, nec a Deo suggeste, ideoque superstitiosæ et illicitæ (Philistiim enim vacabant auguriis et sortilegiis, ut patet ex illo *Isaia ii, 6*: « Augures habuerunt ut Philistiim »); sed Deus eas direxit, vel per angelos, vel per diabolum, ut ex Origene vult Mendoza, sortilegi hujus instigatores, incitavit vaccas ut viam in Israel caperent, ut Philistæi ex suis sortibus cognoscerent a Deo Israel sibi hæc plagas fuisse immisas. Sic Deus direxit necromantiam Pythonissæ suscitantis Samuelem, fecitque ut non demon ab ea invocatus, sed Samuel prodiret, et Sauli mortem meritam præannuntiaret, *1 Reg. xxviii.*

Peccarunt ergo hic Philistæi, tum quia tentarunt Deum Israelis, quem ex tot plagis agnosceri et revereri debebant; tum quia utuntur angurio vaccarum, ut explorent an a Deo, an a casu hæc plaga acciderint. Prius negat Abulensis, *Quest. xviii,* posterius silet: sed utrumque assertit Suarez, *De Relig. tract. 3, lib. II, cap. x, § 11.* Legi-

mus in Sanctorum historis, eorum reliquias ab equis devectas certo quopiam loco constitisse, ut hoc signo indicarent se ibidem humari et colli velle; sed illa fabant Dei ductu et instinctu.

Mystice, vacca mugientes et vitulosus relinquentes, ac portantes arcam recta versus Bethsames, id est, domum solis, significant predicatorum et Sanctos, qui spiritu Dei acti recta per mortificationem carnalis affectus erga filios et parentes, et bona opera in cœlum concorditer contendunt. Ita S. Gregorius, Eucherius, Rabanus, Rupertus, Hugo, Lyranus, Dionysius et alii. Audi S. Gregorium: « Pergunt vacca, quia sancti viri bona incessanter faciunt: mugiunt vero, quia carnalia desideria in seipsis extinguere sine magna quotidie tribulatione non possunt. Megire namque ad laborem edomandæ carnis pertinet, pergere autem ad perseverantiam bonæ voluntatis. Nam dum contra naturam caro carnales motus comprimere cogitur, velut mugit, dum graditur, quia propria desideria adimplere prohibetur. » Et mox: « Bene, inquit, duo hæc in Sanctorum professione describuntur, pergere et mugire; quia, etsi eis ad supernam patriam festinantibus magna est instantia desiderii, est nihilominus invincibilis patientia laboris. » Probat id exemplo Apostoli dicentis: « Ad destinatum persequor ad bravium superne vocationis. » *Phil.* iii, 14. Et tamen mugiebat dicens: « Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Rom.* vii, vers. 23 et 24. Sic igitur ait S. Gregorius: « Mugiunt vacca, sed pergunt; quia sancti viri, nisi magna sunt tentamenta, quæ perferunt, viam lætæ superne patriæ non relinquunt. » Plura in hæc rem congerit hic noster Mendoza.

12. IBANT AUTEM IN DIRECTUM VACCÆ PER VIAM QUE DUCIT BETHSAMITES. — Voluit Deus arcam Bethsames positam quam ad aliam urbem a vaccis duci, quia Bethsames erat vicina Philistææ, ex qua reducebatur arca (ut patet ex Chorographia Adrichomii) eratque urbs sacerdotalis: Sacerdotes autem debebant arcam custodire et curare. *Bethsames* Hebraice idem est quod *domus*, id est, sedes et civitas *Solis*. Fuit a Judeis edificata instar *Helio-*polis *Ægypti*. Sicut enim vitulos aureos quasi deos ab *Ægyptis*, ita et cultum *Solis* Judæi acceperunt, ait noster Sanchez, *Jerem.* xliii, in fine capituli. Porro *Bethsames* hæc non erat in tribu Benjamin, uti scribit S. Hieronymus in *Locis Hebraicis*, nec in tribu Dan, ut vult Adrichomius, sed in tribu Juda, uti veritè Chaldaeus et Septuaginta, et patet ex vers. 14 et 15. Hic lapis dictus est *Abel*, id est *Josue* xix, 38; et alia in tribu Issachar, ut liquet *Josue* xix, 22. Vide dicta *Jerem.* xliii, 13.

14. ET PIAUSTRUM VENIT IN AGRUM JOSUE, — sive su, qui erat typus Jesu Christi; hic enim est *thsamita*, id est incola domus *Solis*; quia ipse Sol divinus radios suos sapientiæ et gratiæ in-

fideles suos circumquaque diffundit. Audi S. Justinum, *Dialog. Contra Tryphon.*: « Non ad eum venero locum, unde arca abrepta fuerat: sed in agrum hominis ejusdem Jesu, seu Josue dicti illi cognominis, qui Jesu nomine transnominatus fuerat, quique populum in terram introduxit, et hereditario jure ipsis eam divisit: in quem agrum cum venissent, constituerunt. Quo facto indicatur, virtute nominis ductas esse: haud aliter quam prior populus per eum qui nomen Jesu recipit, in terram est deductus. »

VACCASQUE IMPOSUERUNT SUPER EA HOLOGASTUM DOMINO. — Disputat hic *Abulensis* an hæc immolatio fuerit licita, nullaque affert, quæ probant fuisse illicitam, scilicet primo, quod vacca femina sacrificari, cum ex lege victimam deberet esse mascula; secundo, quod extra tabernaculum, et sine altari; tertio, quod a laicis: verum extraordinarius hic casus tam mirabilis reductionis arca extraordinarium posebat sacrificium et gaudium, ait *Beda*, ut vacca arca bajulas Deo immolaretur, idque coram a que tabernaculo erat sacerdotiorum; verum non nisi a sacerdotibus: erat enim *Bethsames* civitas sacerdotalis. Porro altare erat hic lapis in quo sacrificasse Abrahamum tradunt Hebræi. Lapis autem erat typus Christi, qui est lapis angularis Ecclesiæ.

17. HI SUNT ANI AUREI. — Hos aureos anos et muros, ait *Abulensis*, *Quæst.* xlii, Hebræi vel in visis, quedam sacra confaverunt; vel quasi annumerata, ad divinæ hujus potentie, justæque vinitæ memoriam conservarunt in tabernaculo, æque ac serpentem æneum *Num.* cap. xxi, et thuribulo *Core*, *Dathan* et *Abiron*, *Num.* xvi.

18. ET MURES AUREOS SECUNDUM NUMERUM URBIS PHILISTINUM, QUINQUE PROVINCIARUM (quinque satrapiarum Philistinorum que porrigitur, seseque extendunt) AB URBE MURATA, USQUE AD VILLAM QUE ERAT ABSQUE MURO, ET USQUE AD ABEL MAGNUM. — Sicut ergo quinque fuerunt duntaxat ani aurei, sic et totidem mures aurei duntaxat a Philistinis oblati: quia tot erant eorum Satrapæ et Satrapie. Minus recte ergo Hebræi apud S. Hieronymum, Cajetanum et Magister *Hist. Scholast.* sic interpretantur; quasi tot mures aureos obtulerint, quot erant urbes et vici in Philistæa. Unde *Isidorus* *Clarius*: « Alliarum, inquit, civitatum et locorum homines, audientes consilium sacerdotum, volebant et ipsi offerre Deo Israel anos et mures aureos, timentes quinque præcipuarum civitatum oblationem sibi minime suffragatam. »

ET USQUE AD ABEL MAGNUM, SUPER QUEM POSUERUNT ARCAM. — « *Abel magnus* » erat lapis magnus, ut veritè Chaldaeus et Septuaginta, et patet ex vers. 14 et 15. Hic lapis dictus est *Abel*, id est *Josue*, ex luctu Philistinorum, sicut arca *Atad* cognominata est *Abel* ob luctum, quem ob mortem *Jacob* in ea fecerunt Hebræi, *Genes.* l, 11; ita *Beda*, *Lyranus*, *Abulensis*, *Hugo*, *Dionysius*, *Vatablus*, *Serarius*, *Mariana*, *Sallianus* et alii. *Secunda*

Cajetanum ex R. *David Abel magnum* interpretatur plantam magnam; sic enim *Abel* pro valle et planitie capitul *Judic.* vii, 23. *Tertio*, S. Hieronymus in *Quæst.*, *Procopius*, *Angelomus*, *Rupertus*, per *Abel magnum* intelligunt civitatem magnam, puta *Bethsames*, de qua paulo ante actum est: hæc enim dicta est *Abel*, inquit, ob luctum casorum civium qui arcam inspexerant: prima sententia uti communior, ita et verior est.

19. PERCUSIT (id est occidit) (1) ACTEM DE VIRIS BETHSAMITIBUS, EO QUOD VIDISSENT ARCAM DOMINI, — inactam et nudam: hoc enim sub pena capituli vitium erat *Num.* iv; ita *Abulensis*, *Quæst.* xxvi, imo quod introspexissent, ut viderent num Philistæi tabulas legis ex ea sustulissent, vel quid aliud ei inspexissent: unde ex Hebræo veritas, eo quod inspexissent in arcam. Ita *Serarius*, *Vatablus*, *Clarius*, *S. Salomon* asserit *Bethsamitas arcam sprevisse*; *Hugo Victorinus*, in agro reliquisse, nec in urbem invasisse; *Lyranus* tres alias causas addit: « *Prima*, quod inani lætitia gesserint; *secunda*, femellas sacrificarunt; *tertia*, nullis arcam luminibus ante ipsam ardentibus venerati sint: » sed harum prima ficta est. *Secunda*, eorum tantum sacerdotum fuisset qui sacrificarunt. *Tertia*, nulla est, cum nec in deserto lumina hujusmodi prælatæ sint, tantumque in tabernaculo candelabrum fuerit, *Exod.* xxvi, 27.

Veræ ergo causa percussiois fuit, quod *Bethsamite* arcam que ex *Philistæa* redierat velamentis suis cooperta, eis nudarint, nudamque intulsi sint: quod ne *Levitis* quidem licebat sub pena mortis, ut patet *Num.* cap. iv, vers. 5 et 20. Tanta erat aræ religio, quia ipsa erat Dei quasi sedes et solium, qui in ea quasi invisibilis degere et occultari vol-bat.

Allegorice, arca continens manna representabat *Eucharistiam*, quam qui irreverenter aspiciunt et indignè sumunt, morte præsentè sepe puniunt, et semper æterna punientur, uti docet *Apostolus*, *I Cor.* xi, 30. Ita *Dionysius*. Hac de causa sacerdos in *Missæ* extremis digitorum partes abluit: « Ut qui jam antea lotus est, ait S. *Dionysius Eccl. Hierar.* cap. iii, nullam aliam nisi tantum summitatem extrematamque suarum lotionem adhibeat. Per quam profecto supremam munditiæ illud consequitur, ut castissimo in habitu divinæ specie constitutus, ad divinæ bonitatis imaginem prodeat, vinculis omnibus mortalium affectuum liber atque expeditus. » Et paulo post: « *Eos*, inquit, qui ad sacramenta celestia conficienda accedunt, ea oportet esse munditia, ut ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant. »

Audi *Chrysostomum*, hom. 60 ad *Popul.*: « Quo non oportet esse puriorum tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum?

(1) Varii scriptores, inter quos eminent *Lira*, *Kennicott*, *Bullet*, *Bergier*, *Guaudé*, affirmant perisse tantummodo septuaginta viros ex quinquaginta millia

carnem hanc dividentem? Os quod igne spirituali repletur? Lingua que tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignis honore; quali mensa fruaris: quod angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri, propter emicantem inde splendorem; hoc nos pascimur; huic nos unimur, et facti sumus unum *Christi* corpus et una caro. »

Denique B. *Petrus Damianus*, lib. I, *epist.* 6: « Si, inquit, Redemptor noster tanloperè dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgine utero nasceretur, sed etiam a nutritio virgine tractaretur; et hoc cum adhuc puerulus vagiret in canis; a quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cum jam immensus regnat in cœlis? Si mundis attingi manibus volebat in præsepio positus; quantam corpori suo nunc vult adesse munditiæ, jam in paternæ majestatis gloria sublimatus? »

ET PERCUSIT DE POPOLO SEPTUAGINTA VIROS, — primarios, eo quod septem mensibus reliquissent arcam in potestate hostium, nec quid periculi bellici, ait *Theodoretus* et *Procopius*, pro ea suscipere voluissent. Hoc incertum est: certiorè causam jam dedi. S. *Gregorius*, *Angelomus* et *Rabbini* dicunt eos fuisse *Judices*, vel *Nobiles*; *Chaldaeus*, *senes populi*.

ET QUINGUAGINTA MILLIA PLEBIS. — Ita et *Septuaginta* et *Chaldaea*. Sed cur ob tam levem aspectum et culpam, tot millia percussa? *Josephus*, *Hebræi*, S. *Hieronymus* in *Quæst.*, *Rupertus*, *Dionysius*, *Isidorus*, *Clarius*, *Lyranus* et *Abulensis* aiunt septuaginta tantum fuisse percussos: quare hic mendam irrepisse, ac tollendum est et quinquaginta millia plebis, ait *Abulensis*, vel ita exponendum quasi dicat illos septuaginta viros adeo eximios fuisse, ut æquipararentur quinquaginta milibus plebis, ait *Lyranus*. Sicut lib. II, cap. xviii, unus *David* dicitur esse instar decem millium. Denique ex Hebræo sic veritas: *Et percussit de populo septuaginta viros ex quinquaginta millibus virorum*, qui præsentès erant, ut quod *Noster* vertit, et quinquaginta millia plebis, explices in nominativo, q. d. et quinquaginta millia plebis aderant, videbantque hanc septuaginta stragem. Ita *Serarius*.

Verum quinquaginta millia plebis percussa fuisse a Deo clare indicat nostra versio, æque ac *Septuaginta* et *Chaldaea*. Fuit enim plaga hæc magna, ut dicitur vers. 19. Quare mirare et admirare hic *Judiciorum* Dei severitatem, æque ac in clade *Sodonæ* et *diluvii* sub *Noe*. Ita S. *Gregorius*, *Theodoretus*, *Eucherius*, *Angelomus*, *Rupertus*, *Dionysius*, *Mariana*, *Mendoza* et *Sallianus*. Arca enim representabat Deum, ejusque erat thronus et solium.

Mystice S. *Gregorius*: « Qui sunt, ait, *Bethsamite* percussi, nisi falsa contemplatione decepti heretici? dum arcam videre in lapide præsumunt, percussi sunt: qui cum Domini ac Redempti-

toris nostri sacramenta indigni discerent, æternæ damnationis laqueis, per fallaciam sunt depressi erroris. »

Rursum discite hic qua veneratione et cautela sacra vasa tractare debeamus.

Vers. 1. 21. MISERUNTQUE NUNTIOS AD HABITATORES CARI-

THIARUM, — sive quia erant viciniore, ad quos proinde citius posset arca transferri: sive quia fortiores, qui proinde arcam a Philistiis, si eam reptere vellent, facilius tenerent: sive quia nobiliores, apud quos proinde arca majori cultu veneratione servaretur. Ita Mendoza.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arca Bethsames transfertur in Cariathiarim; anno a translatione vigesimo, Samuel Israelen renovato federe plane ab idolis purgat, et uni Deo astringit. Inde ingruentibus Philistiis orans et sacrificans per tonitruum esse percussit; unde percussos cœdunt Hebræi, adeo ut toto tempore Samuelis fuerint humiliati. Quare Samuel quiete judicavit Israelen per omnem vitam suam.

1. Venerunt ergo viri Cariathiarim, et redixerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa; Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini. 2. Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vigesimus) et requievit omnis domus Israel post Dominum. 3. Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth; et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philistiim. 4. Abstulerunt ergo filii Israel Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli. 5. Dixit autem Samuel: Congregate universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum. 6. Et convenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini, et jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Israel in Masphath. 7. Et audierunt Philistiim quod congregati essent filii Israel in Masphath, et ascenderunt satrapæ Philistinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philistinorum. 8. Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum. 9. Tuliit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino; et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus. 10. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philistiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philistiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel. 11. Egressique viri Israel de Masphath, persecuti sunt Philisteos, et percusserunt eos usque ad locum qui erat subter Bethel. 12. Tuliit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Masphath et inter Sen; et vocavit nomen loci illius, Lapis adjutorii. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. 13. Et humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisteos, cunctis diebus Samuelis. 14. Et reddite sunt urbes quas tulerant Philistiim ab Israel, Israeli, ab Accaron usque Geth, et terminos suos: liberavitque Israel de manu Philistinorum, eratque pax inter Israel et Amorrhæum. 15. Judicabat quoque Samuel Israelen cunctis diebus vite sue; 16. et ibat per singulos annos circumiens Bethel et Galgala et Masphath, et judicabat Israelen in supradictis locis, 17. Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus, et ibi judicabat Israelen; ædificavit etiam ibi altare Domino.

Vers. 1. 4. VENERUNT ERGO VIRI CARIATHIARIM, ET REDUXERUNT ARCAM. — Audi Adrichomium, pag. 22: « Cariathiarim 4, urbs Sylvarum, quæ, et Cariath Lail, et Bala, Baala, interdum Bual et Pharasim, et con-

junctim Bualpharasim, Hieronymo etiam Jarim. Est de Jerusalem ad quatuor miliaria, et dimidium contra Occidentem euntibus Diospolim. Hieronymus ait miliario uno. Urbs prius Gabaonitarum, postea tribus Judæ, estque terminus tribus Judæ et Benjamin, sita in colle. In hac mansit arca Domini annis viginti in domo Abinadab, quæ erat in Gabaa, id est in excelso, donec a Davide transferretur Hierosolymam. De hac fuit Zacharias F. Joiada, quem occiderant inter templum et altare. De hac fuit Urias propheta, quem interfecit Joachim rex in Jerusalem. »

IN DOMUM ABINADAB IN GABAA. — « Gabaa, » hæc non erat urbs Gabaa in tribu Benjamin, Josue cap. xviii, ut vult Angelomus, Rupertus, Lyranus et Rabbinus; sed erat collis sive locus excelsoior in urbe Cariathiarim (in qua sita erat domus Abinadab); ad illam enim arcam translata patet vers. 1 et 2. Gabaa enim hebraice collem sive locum altum significat; unde Noster et Septuaginta, lib. I Paralipomen. xiii, collem vertunt. Ita Josephus, lib. VI Antiquit. cap. 1, Beda, Dionysius, Cajetanus, Vatablus, Tornielius, Serarius, Salianus et alii. Adit Beda illum collem fuisse arcem totius civitatis: ille ergo locus, utpote celsus, honoratus, mundus, congruebat arcæ, quæ erat quasi arx totius Israelis. Hinc arca erat typus B. Virginis, quæ super omnes cætos exaltata omnibus se invocantibus patrocinatur.

ELEAZARUM AUTEM FILIUM EJUS SANCTIFICAVERUNT, — id est consecraverunt per Achitob Pontificem in urbe Silo degentem; vel in Levitam, ut vult Abulensis, Theodoretus, Procopius et Cajetanus, vel in Sacerdotem, ut censet Angelomus, Hugo et Dionysius. Erat enim vir justus, ait Josephus; aut sanctificaverunt, id est elegerunt, destinarunt, aptarunt, et præfecerunt eum custodie arcæ, ita et Chaldeus, Josephus, Abulensis, Clarius, Vatablus.

2. ERAT QUIPPÉ JAM ANNUS VIGESIMUS — translationis et commutationis arcæ in Cariathiarim, et consequenter erat annus vigesimus a morte Heli, et a principatu Samuelis, qui Heli successit. Nam eodem circiter anno quo capta est arca, et reducta, ac a Bethsames translata in Cariathiarim, mortuus est Heli, ac Samuel ei successit: est: Ita Lyranus, Abulensis, Salianus, Mendoza et alii, licet Cajetanus, Genebrardus et Melchior Canus, lib. XI De Locis, cap. v, et ex eis Serarius censent Samuelem post hos viginti annos exactos demum cepisse judicare Israelen, et concionabundum omne provinciam, ut omnes ab idolis ad Dei cultum traderet. Unde et S. Hieronymus (vel quisquis est auctor) in Quest.: « A tempore, inquit, quo reprobatum est sacerdotium Heli, usque ad Samuelis ducatum, viginti fuerunt anni miseriarum et servitutis. » Verum Samuelem statim a morte Heli iniisse principatum, patet ex chronologia quam assignavi Judic. cap. iii et iv. Porro mansit deinceps arca in Cariathiarim usque ad septimum annum regni Davidis, qui illam inde,

ut dicitur I Paral. cap. xiii, vers. 5, clare et expresse, transtulit in domum Obededom; inde in montem Sion; inde traducta est in templum a Salomone fabricatum. Licet S. Hieronymus, Angelomus et Lyranus arbitrentur arcam e Cariathiarim post annum vigesimum translata fuisse in Maspha, inde in Galgala, inde in Nobe, inde in Gabaa, inde in domum Obededom; eo quod hisce in locis sacrificatum legamus. Verum hoc non evincit arcam ibidem fuisse. Nam extra locum tabernaculi et arcæ, sæpe ob causas extraordinarias et peculiare sacrificantur Hebræi. Ita Abulensis. Alias ordinarie sacrificia immolabant non ubi erat arca, sed ubi erat tabernaculum; in eo enim erat altare holocaustorum sacrificis deputatum. Tabernaculum ergo fuit separatim ab arca, ac a Silo translatum in Nobe, et inde in Gabaa ante tempora Saulis, cum arca esset in Cariathiarim. Unde arca educta fuit a Saule ad prælium cap. xiv, et post prælium reducta.

ET REQUIEVIT OMNIS ISRAEL POST DOMINUM. — Legit Interpres cum Chaldeo *iamulis*, a *יָמַל* *noach*, id est *quiescere*. Jam legunt *sinahu* a *יָמַל* *naha*, id est *lanentari*. Unde Vatablus vertit, et *lanentatione quadam post Dominum universa domus Israel anhela fuit*; Abulensis, et *festinavit post Dominum*. Idem est sensus, sed nervosior, q. d. Totus populus Israel territus clade Heli et plagis a Deo pro arcam illatis, per viginti annos quievit in vero cultu unius Dei, idque hortante et instigante Samuele, ut sequitur; etiamsi nonnulli adhuc non publice, sed privatim colerent Baalim et Astaroth; hæc enim vers. seq. abstulit Samuel, ut simul auferret ab eis jugum Philistinorum, quod a tempore Heli hucusque subierant in cultu idolorum, ut miseris fatigati ab his ad Dei verum fidem cultumque redirent. Ita Lyranus, Cajetanus, Dionysius, Salianus, Tornielius, Mendoza et alii. Audi Josephum, lib. VI Antiq. cap. ii: « Cum populus toto hoc vicennio votis et sacrificiis operam daret, magnamque religionis et cultus divini curam præ se ferret; Samuel animadversa eorum promptitudine, putans se nactum occasionem adhortandi ad libertatem, et bona que illam consequantur, orationem et temporis accommodans, ad eos fecit. »

Contrarium tamen censent Hebræi apud S. Hieronymum, scilicet hos viginti annos fuisse idololatricæ, miseræ et servitutis, qua Hebræi ob idola oppressi fuerant a Philistiis: sic et Abulensis et Serarius.

Tropologicè, discite hic in orbe universo non esse veram quietem nisi in Deo Deique amore et cultu. Hic enim pariet quietem conscientie, quietem cum proximis, quietem cum hostibus, quietem a tentationibus. Audi Dionysium Carthusianum: « Conguiescere studeamus in Deo; ipse est enim finis noster, ad quem semper respicere et aspirare debemus; in quo solo vera et salutaris quies consistit, et in ipso per fidem, sapientiam

et virtutes desigimur. Optimum est enim gratia stabilire cor. » *Hebr.* cap. xii, vers. 9 : « Impii autem in circuitu ambulat. » *Psalm.* xi, vers. 9 : « Quoniam rebus vanis, caducis et variabilibus, magis quam summo et incommutabili bono inhereat. Et hec ipsa inhesio non inordinata peccatum est, et agitato mentis. Nam sicut virtutes mentem in Deo stabiliant et quietant, sic passiones et vitia inquietant et nutantem et gyrovagant reddunt. »

Vers. 3. 3. **PRÆPARATE CORDA VESTRA DOMINO.** — Audi S. Gregorius : « Cor Domino præparat qui mentem non solum ab immunda cogitatione separat; sed etiam cogitationum sanctarum ac virtutum fulgoribus illustrat, ut velut abjectis et comminutis idolis, se Dei templum efficiat; dum illic divine gratie sedem erigit, ubi reprobos spiritus manere pro prava desideria non permittit. »

Et Theodoretum in *Psalm.* ix, vers. 4 : « Proprium, inquit, est perfectorum hominum totum cor Deo dedicare et omnem mentem ipsi consecrare. Qui enim partitur cogitationes in mammonam et Deum, in Christum et in aurum, in presentem vitam et in futuram, non potest vere dicere : Constitute tibi, Domine, in toto corde meo. »

Vers. 5. 5. **CONGREGATE UNIVERSUM ISRAEL IN MASPHATH, UT ORAM PRO VOBIS DOMINUM.** — Erat enim Masphath locus editus, regni sedes, utpote in quo Samuel iudicabat, id est jus dicebat, ideoque conventu hominum celebris, ac proinde comitiis, concionis et orationi aptus. Unde Masphath hebraice idem est quod *spicula*, qualis solet esse in monte vel turri. Illic ergo Samuel renovat et instaurat fœdus populi cum Deo.

Vers. 6. 6. **HAUSERUNT AQUAM ET EFFUDERUNT IN CONSPPECTU DOMINI.** — in signum penitentie qua perfecte idololatrie et peccatis renuntiabant, q. d. Sicut aquam hanc, sic et cor nostrum, omniaque ejus vitia effundimus coram Domino, profluentes nos ea detestari, premitere et aquam hanc vice lacrymarum fundere. Unde Chaldeus, *effuderunt cor suum in penitentia*; Rabbinus, *hauserunt lacrymas e puteo cordis sui*. « Quid est, ait S. Gregorius, aquam haurire nisi de profunda animi penitentis confusione, lacrymarum fluentia producere? velut enim aquam haurimus, dum quam profunda iniquitate cecidimus, considerantes plangimus. » Aquam ergo pro lacrymis effundebant, q. d. Optarem pro peccatis tot lacrymas fundere, quot sunt guttæ in stivula; sed quia id facere nequimus, nec lacrymas in manu habemus, hinc pro eis aquam effundimus.

Sic et Abulensis, Cajetanus, Vatablus, Sanchez et alii, qui sic exponunt, q. d. Sumus coram te quasi aqua effusa. Fuit ergo hæc aqua effusio, signum candidæ et sincere contritionis, q. d. Nos terram totam nostris sceleribus maculamur; optamus ergo illam hæc aqua ablucere, significantes nos optare tantam vim lacrymarum e corde contrito profundere, quæ toti terræ humectandæ et

purgandæ sufficiat. Sic David ait *psalm.* vi, 7 : « Lavabo (Hebraice *רַחַץ* *asche*, id est *nature suavi*) per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo. »

Rursum aquæ hujus effusione significat se optare, ut peccata ipsorum plano deleantur et pereant, sicut perit aqua effusa, ita ut ne gutta quidem culpæ vel penæ in iis remaneat.

Perperam ergo Rabbinus nonnulli censent Hebraeos aquam hanc habasse, id est sacrificasse Deo. Alii hanc aquam fuisse certis excretionibus maledictam, ut ea hausta labia idololatrarum sibi adhererent, nec divelli possent, indeque Samuelem agnovisse idololatrias, eosque morte punivisse : ut hæc aqua fuerit similis aquæ Zelotypiæ, *Num.* v. Alii censent Hebraeos aquæ hæc abluisse cinerem capiti inspersum in signum luctus et penitentie.

Et JEJUNAVERUNT. — Ecce hic tres actus penitentie, scilicet *contritio* significata in effusione aquæ; *confessio*, cum dicitur : « Peccavimus Domino; » *satisfactio*, cum jejunant. Hoc enim jejunium non erat *Quasin*, id est coactionum, sive a lege præceptum, sed *Consensu*, id est voluntarium et sponte a penitentibus susceptum. Nam ut ait S. Gregorius : « Dum mens flendo compungitur, necesse est etiam ut caro, qua delectationibus subjacuit, affligatur. » Audi S. Hieronymum, lib. II *Contra Jovin.* : « Congregatum, ait, Samuel populum in Masphath indico iuramentum, et fecit hostibus fortiores. » Et S. Leo, *serm.* 1 *De Quadragesima*, ubi agens de Hebraeis hoc loco jejunantibus : « Ut superare, ait, hostes suos possent, vires animi et corporis indico sibi reparare jejunio. » Et post pauca : « Abstinentes ergo a cibo et potu, severæ sibi castigacionis adhibere censuram, et ut hostes suos vincerent, gulo illecebram in seipsis ante vicierunt. »

Et Tertullianus, lib. *De Jejunio*, cap. vii : « In aquatione apud Masphath, ait, congregatus a Samuele populus ita statim jejunio delictum delevit, ut periculum prælii simul fugerit, » imo victoriam obtinuerit. Nam ut subdit Tertullianus : « Ceciderunt pastos impasti, armatos inermes : hæc erat vires jejunantium Deo, coelum pro hujusmodi militat : habes formam prælii animi spiritualibus bellis necessariam. » Audi rursum S. Leonem, *serm.* *De Jejunio decimi mensis* : « Jejunia, ait, nos contra peccata faciunt fortiores, concupiscentias vincunt, tentaciones repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, et omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis emittunt. »

Porro S. Athanasius, lib. *De Virgin.* : « Vide, inquit, quid faciat jejunium : morbos sanat, distillationes exsiccant, demones fugat, malasque cogitationes expellit, et mentem nitidiorum reddit, et cor purgatius, et corpus salubrius, et ad thronum Dei hominem sistit. »

Denique S. Ambrosius, lib. *De Elia et Jejunio*, cap. iii : « Quid est, inquit, jejunium, nisi sub-

stantia et imago celestis? Jejunium refectio animæ, cibis mentis est. Jejunium vita est Angelorum; jejunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium malitiae, radix gratiæ, fundamentum castitatis. »

PRÆCAVIMUS DOMINO. — Præclare S. Ambrosius, lib. II *De Penit.* cap. viii : « Novit, ait, omnia Dominus; sed expectat vocem tuam, non ut puniat, sed ut ignoscat : non vult ut insultet tibi diabolus, et celantem te peccata tua arguat. Præveni accusatorem tuum; si te ipse accusaveris, accusatorem nullum timebis : si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris, revivises. »

Idem, lib. II *De Abel*, cap. ix : « Confessio, ait, peccatorum compendium est. » Idem in *Psalm.* xxxv : « Iustus, inquit, novit quemadmodum peccatorum suorum vincula dissolvere, nec expectat accusatorem, sed prevenit, ut confitendo suum allevet omne delictum, nec habeat quod adversarius criminetur. Vocem enim eripit adversario, et quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminacionis infestæ, peccatorum suorum confessione constringit. »

JUDICAVIT SAMUEL FILIOS ISRAEL IN MASPHATH. — « Judicavit, » id est iudicandi potestatem exercuit, lites iudicæ definiendo, dissolutos arguendo, nos puniendo, dissidia componendo, dubia resolvendo, etc. Unde Hebraei apud S. Hieronymum, *iudicavit*, inquit, id est *idololatrias morte punivit*.

Porro urbes dicte Masphath, fuerunt quatuor. Prima in tribu Gad, *Josue* xiii, 26; secunda in dimidia tribu Manasse ad radices Hermon, que fuit patria Jephthæ, *Judic.* xi; tertia trans Jordanem in patria Moab, de qua I *Reg.* xxii, 3; quarta hæc nostra in confinio tribus Juda et Benjamin, in qua erat orationis locus, ideoque ad eam crebro conveniebant Hebraei. Alibi Masphath vel Maspe vocatur. Hanc postea ædificis munivit Asa rex Juda, et in ea habitavit Godolias, IV *Reg.* xxv. Et Jeremias propheta, cap. xl, vers. 41. Nota : arca non erat in Masphath, ut nonnulli conjiciunt ex hisce Samuelis comitiis ibidem peractis, sed in Cariathiarim, ut ostendi initio capituli.

Mysifos S. Gregorius : « In Masphath, ait, sacerdos iudicat, cum non humanum arbitrium sequitur, sed divinum, » etc. Et anterus : « Afflicto penitentie ad delenda peccata tum demum idonea est, cum sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus ei decernitur afflictionis. »

7. ASCENDERUNT SATRAPE PHILISTINORUM AD ISRAEL. — id est *contra* Israel, nimirum cum valido exercitu ad eum profligandum, et comitia dissipandum; quia suspicabantur Hebraeos sibi velle rebellare, et jugum excutere, uti revera per Samuelem excusserunt. Ita Dionysius et Cajetanus.

Topologice S. Gregorius : « Ablatis, ait, diis alienis, peracto jejunio, exhibita a prædicatore censura examinis, ad Israel Philistinorum principes ascendunt; quia cum altiori vita proficimus,

maligni spiritus, qui semper bene agentibus invident, nobis infestiores sunt. » Quocirca S. Bernardus, in *serm.* *De Comer. ad Clericos*, cap. xviii : « Quotidianis, inquit, discimus experimentis eos qui converti ad Deum deliberant, tentari acris qui concupiscentia carnis; et urgeri gravius in operibus luti, et laterum, qui Ægypto egredi, et Pharaonis imperium effugere moliantur. »

9. TULIT AUTEM SAMUEL AGNUM LACTENTEM, ET OB- **TULIT ILLUM IN HOLOCAUSTUM INTEGRUM DOMINO.** — Hinc patet Samuelem, licet ex stirpe duntaxat esset Levita, ex Dei tamen dispensatione extraordinarium fuisse sacerdotem, non tamen summum Pontificem, licet id velit Serarius. Vido dicta cap. ii, vers. 35. Eodem modo dispensavit cum Samuele Deus, ut extra tabernaculum et altare holocaustorum sacrificaret in Masphath.

Sed cur dicitur hoc « holocaustum integrum? » Respondeo : « integrum, » id est indissectum; solebat enim victima in partes dissecari, itaque in altari comburi; hoc vero ob ingruentes hostes Philistinios dissecari non potuit, sed integrum fuit aræ impositum. Alioqui in omni holocausto tota et integra hostia debebat Deo comburi. Ita Saliarius.

10. FACTUM EST AUTEM, CUM SAMUEL OFFERRET **HOLOCAUSTUM, PHILISTINI (ET PRINCIPES TYRIORUM,** **UT ADIT *Eccles.* cap. xlii, vers. 21) INIERE FRAGORE MAGNO IN DIE ILLA SUPER PHILISTINI, ET EX-**

TERRUIT EOS; — cum adhuc agni victima arderet, inquit Josephus, perterritus Dominus hostes fulmine, tonitru et terræ motu. » Sic Deus per fulmina contrivit exercitum Pharaonis in mari Rubro, ut dixi *Exodi* xiv; et Chanaanos per Josue, cap. xviii, vers. 41, et Barbaros, per legionem Fulminatricem sub Antonino Imperatore, teste Eusebio, libro *V Histor.* v, et Eugenium tyrannum per Theodosium Imperatorem, de quo audi Orosium, lib. VII *Histor.* cap. xxxv : « Dominum Christum solus orulum corpore humi fusus, mente celo fixus orabat. Dehinc postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, et testes propendium, quas in pretium præsidii celestis appenderat, lacrymarum lacunas reliquit, iudicialiter arma corripuit. » Hinc felix pugnae successus. « Continuo, inquit, magnus ille et ineffabilis turbo ventorum, in ora hostium ruit; ferebantur per aërem spicula missa nostrorum, atque ultra mensuram humani jactus, manu in aere portata nusquam propendium cadere, priusquam impingerent, sinebantur. Teli etiam quæ hostes vehementer intorserant, excepta ventis, impetu supinata ac retrorsum coacta, infeliciter confgebant. »

Topologice S. Gregorius : « Tonitrua nubium, ait, sunt ferventia electorum desideria, quibus suggestiones maligni spiritus expellunt. Imperfecta enim Christianorum desideria demoniis terribilia non sunt. Fragar magnus ergo tonitru perfectum est uniuscujusque desiderium electi.

Cum igitur fragore magno super Philistæos Dominus innotuit, tunc a filiis Israel caduntur, quia dum electorum mentem perfecta devotio ad superna gaudia erigit, omne quod adverse pertinet, a se penitus abscondit. Bene quoque prius terribi Philistæi, deinde a filiis Israel credi memorantur: nam terrentur electorum devotione, caduntur opere; et quia opere devotio prior est, terri prius, postea vero cædi recte perhibentur. Nam prius donum bonæ voluntatis a Domino accipimus, ut consilia malorum spirituum postmodum confutare valeamus. Bene etiam Dominus super Philistæos intonare, et exterrere eos dicitur, filii autem Israel illos cadere perhibentur; quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur, sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus. »

VERS. 11. 11. PERCUSERUNT EOS USQUE AD LOCUM QUI ERAT SUBTER BETHCHAR. — Bethchar erat vicus ita dictus a copia agnorum. Car enim agnum significat: nisi dicas ab agno a Samuele hic immolato locum ita nominatum; agnus enim hic fuit causa victorie.

Porro Bethchar erat in tribu Juda, vicinus Bethsames, ait S. Hieronymus in *Abezzer*, nec longe ab Aphese, et Lapide adjutorii.

Mystice S. Gregorius Bethchar, id est domus agni, notat vitam et conversationem Christi, ad quam omnes contendere debemus, etiam ad illam perfergere non possumus: « Quia, inquit, per indebitum conatum certaminis, contendere debemus ad arcam perfectionis, ubi jam tanto fumus hostibus nostris terribiliores, quanto redemptori nostro victiores. »

VERS. 12. 12. LAPIS ADJUTORII. — S. Cyprianus, lib. II *Testimon.*, venit « lapis auxiliator. » Hic lapis fuit perenne monumentum victorie Hebræis per preces Samuelis a Deo concessæ. Sic locus celestis victorie a Deo Carolo Magno date appellatus fuit « Mons adjutorii, » teste Crantzio, lib. II *Saxoniz* cap. IV.

VERS. 14. 14. ERATQUE PAX INTER ISRAEL ET AMORRHEUM, — hoc est inter Judæos et Philistinum; hi enim vocantur hic Amorrbæi, quia ipsi occupaverant ista loca Amorrbæorum; unde censebantur Amorrbæi, hoc est esse a septem gentibus incolentibus terram Judæis a Deo promissam.

VERS. 15. 15. JUDICABAT QUOQUE ISRAELM CUNCTIS DIEBUS VITE SUE.

VERS. 16. 16. ET IBAT PER SINGULOS ANNOS CIRCUENS BETHEL (1) ET GALGALA ET MASPIATH. — Ideam hic perfecti Judicis et Principis exhibet Samuel circumveidendo urbes Israelis, totumque sēsubditorum commodis impendendo, nec ulli labori parendo, sed continue judicando, id est lites decidendo, dissidia componendo, pacem et concordiam inter

(1) Aliqui interpretes censent Bethel hic esse æque ac domum Dei, id est Cariathiarim, ubi arca tunc stabat

omnes redintegrando firmandoque, regendo, jubendo, castigando malos, bonos premiando toto tempore vite sue, ita tamen ut in senio filii eum adjuvarent, ac tandem ipse Saul cum a Samuele rex creatus est. Nam quandiū Saul fuit probus et Deo obediens, Samuelem quasi in principatu socium; imo prophetam coluit, ut patet cap. XI, vers. 7. Improbis vero et inobediens effectus, permisit tamen Samuelem in sua urbe Ramatha degere, et omnium qui ad eum recurrerent, ibidem lites dirimere. Hinc patet Samuelem tempore Saulis regis judicariam potestatem retinuisse, ac cum Saule judicasse populum, usque ad finem vite. Porro Samuel et Saul simul præfuerunt populo per annos 40, Actor. XIII. Quos annos varii varie distribuunt. Noster Sallianus censet Samuelem solum judicasse populum per annos 23, deinde anno 24 regem creasse Saulem, ac cum eo perrexisse judicare per annos sedecim, tumque vita functum: ita ut Saul post mortem Samuelis solus regnarit annos duntaxat duos, de quo rursus inferius agendum. Denique quomodo Principes recte Republicam judicare et gubernare debeat, paucis, sed nervosis indicat Politiæ: « Curet, inquit, ut in foro sit fides, in civitate justitia, æquitas in judiciis, auctoritas in magistratibus, in senatu majestas, et in judiciis gravitas. Discordiam a curia summoveat, omnibus recte faciendi, aut incutiendi voluntatem, aut imponat necessitatem. Dominium a latrociniorum metu servet immune; fortuita non civium tantummodo, sed urbium damna munificentia vindicet. Honor dignis paratissimus sit. »

Tropologicè S. Gregorius: « Qui sunt, inquit, dies unusquisque Doctoris, nisi virtutum spiritualium claritates. Omnibus namque diebus vite sue Israelm judicat, qui lucem justitiæ quam loquendo asserit, ad subditorum, fidelium exemplum perfectione representat bonæ conversationis. Qui autem virtutum spiritualium lucem non habet, quia ad docendum assumit bonæ conversationis extraneæ, diebus profecto judicat vite alienæ. »

Denique Samuelem imitentur Principes et Prælati, ut provincias obeant et visitent. Unde Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. III *De reformat.*, ita sancit: « Patriarchæ, Primates, Metropolitanæ et Episcopi propriam diocesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem; si quotannis totam, propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem; ita tamen, ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleant; visitare non prætermittant. »

Sic Josaphat rex obiit urbes Juda, omnino adhortantes ad pietatem, et ubique incorruptos Judices constituit, maxime vero in Jerusalem: « Dicebat enim, inquit Josephus, lib. IX *Antiq.* cap. 1, rectum judicium constitutum esse debere in ea civitate, in qua et templum Dei, et habitacu-

lum erat regis. » Sic Paulus cum Barnaba visitabat Ecclesias, Actor. cap. XIII, vers. 36.

VERS. 17. 17. EDIFICAVIT ETIAM IBI (in Ramatha ubi habitabat) ALTARE DOMINO. — ut in eo crebro sacrificaret, Deumque toti Israeli placaret. Licet enim Samuel non ex stirpe, sed ex Dei dispensatione ex-

traordinarius esset sacerdos, tamen potestas hæc sacerdoti fuit in eo, non ad unum alterumve dumtaxat sacrificandi actum, sed constans, stabilis perpetua per omnem vitam, ut, quoties vellet ubi libere, sacrificaret; unde a multis Patribus Samuel vocatur sacerdos, ut dixi cap. II, vers. 3

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræi a Samuele senes ob filiorum ejus improbitatem postulant regem. Hæc postulatio displicuit Deo, et Samueli; unde Samuel jura et onera regalia jussu Dei eis enarrat, et præveniat, vers. 11. Sed Hebræi in postulazione regis persistentibus, vers. 19, jubet Deus ut eis acquiescat regemque constituit.

1. Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices Israel. 2. Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joel, et nomen secundi Abia, judicium in Bersabee. 3. Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus; sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. 4. Congregati ergo universi majores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha. 5. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulavit in viis tuis; constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes. 6. Displacuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. 7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. 8. Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. 9. Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, et prædic eis jus regis qui regnaturus est super eos. 10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem. 11. et ait: Hoc erit jus regis qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum, 12. et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum, et fabros armorum, et panificas. 13. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, et focarias, et panificas. 14. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis. 15. Sed et segetes vestras, et vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis et familiis suis. 16. Servos etiam vestros et ancillas, et juvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in die suo. 17. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. 18. Et clamabit in die illa, a facie regis vestri, quem elegistis vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. 19. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam; rex enim erit super nos, 20. et erimus nos quoque sicut omnes gentes, et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis. 21. Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini. 22. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, et constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat unusquisque in civitatem suam.

VERS. 1. 1. FACTUM EST AUTEM CUM SENUISSET SAMUEL, POSUIT FILIOS SUOS JUDICES ISRAEL. — Hebræi tradunt Samuelm fuisse 32 annorum, tumque mortuum; sed errant. Erat enim senex, et post hæc multos adhuc annos vixit cum Saule. Quare melius Abulensis, Sallianus et alii censent Samuelem fuisse hoc tempore, circiter 60 annorum, ac post hæc primum regem Saulem creasse, cum eoque adhuc sedecim annis vixisse, et Israelm judicasse, ac defunctum esse anno ætatis 77, atque eo vita

functo, Saulem filium regnasse per biennium duntaxat.

POSITI SUOS FILIOS JUDICES. — Quasi vicarios suos, ait Abulensis, ita tamen ut ipse Samuel summus esset iudex, et princeps populi, ac precipua per se definitur, cetera filiis definienda committeret. Constituit autem Judices filios suos non ex carnali affectu, sed quia eos optime erudierat, et præ cæteris dignos judicabat, ait Dionysius, et forte initio tales erant, sed postea dignitate nova superbientes et muneribus corrupti, pravi evaserunt. Honores enim mutant mores, sed raro in meliores. Audi nunc S. Gregorium: « Ecce qui propheticæ spiritui plenus fuerat, quos Judices Israel ponebat, non cognovit. Quid ergo mirum, si falli in disponendis ordinibus possunt, qui prophetie gratiam non accipiunt; si ii qui prophetie spiritum habent, eundem spiritum ad disponenda cuncta non habent? »

Vers. 2. 2. JUDICUM IN BERSABEE. — Erat hic terminus australis Judæe, quem filiis suis regendum tradidit Samuel; partem vero septentrionalem gubernandam sibi reservavit; ita Abulensis. Perperam ergo Josephus addit filios Samuelis judicasse tam in Bethel, quam in Bersabee.

Vers. 3. 3. ACCEPERUNT (illi Samuelis) MUNERA, ET PERVERTERUNT JUDICUM. — Munera enim excecant oculos etiam sapientum, uti alibi sæpe ostendi.

Vide hic quam illi Samuelis a patris probitate degeneraverunt, æque ac filii Heli, nimirum: « Herorum filii noxæ. » Sed cur Deus propter filios impios non punivit Samuelem, sicut punivit Heli? Respondent Theodoretus et Procopius, scelera filiorum Samuelis fuisse minora et Samueli incognita; occulte enim accipiebant munera, idque modico tempore. Nam populus id advertens illico a Samuele pro his petiit regem.

Moraliter, disce his non esse gloriantium in filiis, quia hi sæpe sunt degeneres. Sic enim Abraham genuit Ismaelem; Isaac, Esau; Moses, Gersam; Heli, Ophni et Phinees; Samuel, Joel et Abia impios; David, Absalomem; Salomon, Roboam; Ezechias, Manasse; Josias, Joachim; nam dignitas imperandi fuit eis occasio delinquendi: « Steterunt subditi, ait S. Gregorius, sed in culmine prelationis positi, propheta filii ceciderunt, » nimirum, sicut fumus in altum ascendit, ibique evanescit, sic et homo. Audi S. Basilium, hom. 7 in divites avaros: « Velut flumina, inquit, ex parvis initiis excurrentia, deinde paulatim incrementum intolerabile in processu accipientia, impetu deum violento quidquid objicitur, secum trahunt; sic et ii qui in magnam provehuntur potestatem, eo quod jam aliquos opprimerunt, ad majora continuo faciunt, majoresque injurias progrediuntur. Potentia incrementum fit eis sceleris occasio majoris. »

Vers. 5. 5. CONSTITUIT NOBIS REGEM, UT JUDICET NOS, SICUT ET UNIVERSE HABENT NATIONES. — Causa ergo stimulans Hebræos ad petendum regem, prima fuit

senectus Samuelis, et iniquitas filiorum ejus; secunda, ut regni regumque splendorem haberent, quem videbant apud vicinas gentes; tertia, quia sperabant se a rege melius defensum iri contra Philistæos, ait Josephus; quarta, quia metuebant regem Ammonitarum, qui contra Israel grave parabat bellum, ut patet cap. xii, vers. 12.

6. DISPLICUIT SERMO IN OCVLIS SAMUELIS, — tum quia displicebat ei filiorum improbitas quam audiebat, et hucusque ignorarat: ita Lyranus et Abulensis; tum quia justitiam et aristocratiam diligebat, ait Josephus. Licet enim monarchia sive regnum sit regimen optimum, teste Aristotele in *Polit.*, illudque Deus concesserit Hebræis, *Deut.* cap. xvii, imo fore prædixit *Genes.* cap. xvii, vers. 49, peccaverunt tamen Hebræi hic regem petendo. *Primo*, quia petunt eum inconsulto, imo invito Deo. Deus enim instituerat Judicium aristocratiam; hanc ergo ipsi in monarchiam mutare non debebant, nisi volente, et mutante Deo. Quare Deus novitatum hanc (studiumque novandi regimini) habuit exosam, ait S. Gregorius. Peccarunt ergo, quia magistratum Judicum a Deo institutum repudiarunt, aliumque regem postularunt, cum potius debuissent petere a Samuele ut filios suos corrigeret, aut eorum loco alios æquos Judices Israel præficeret.

Secundo, quia volebat Deus esse proprius rex et immediatus Dominus Hebræorum, qui eos partim per se, partim per Judices a se excitatos gubernaret; unde ægre tulit quod pro se alium regem peterent quasi Deum suo Israelis regno spoliare vellent; ipsi enim dixerat *Exodi.* cap. xix, vers. 5: « Eritis mihi in peculiūm de cunctis gentibus; » et mox: « Eritis mihi in regnum sacerdotale; » unde Josephus, lib. II *Contra Apionem*, significanter ait Deum in Israele non tam Monarchiam quam *Oligarchiam*, id est *Deiarchiam*, instituisse. Videtur ergo Hebræi petitiones hac regem suum abjicere; unde Deus indignans ait Samueli vers. 7: « Non enim te abjecerunt, sed me ne regem super eos. » Ita Theodoretus, Procopius, Rupertus, Lyranus, Abulensis, Dionysius, Cajetanus et alii. Unde David: « Letetur, inquit, Israel in eo qui fecit eum, et filia Sion exsultent in rege suo, *Psal.* cxlix, vers. 2, ubi Theodoretus: « Omnium quidem Deus, universalis est Deus; proprie autem Israelitarum rex nuncupabatur, cum primum igitur ingrati animi morbo laborarunt, alium regem ut esset eis petierunt. »

Tertio, quia hæc petitione abjiciebant Samuelem summum judicem, quasi is principatu indignus esset, nec posset aut vellet pro filiis improbis alios Judices probos surrogare: que insignis erat injuria et ingratitude in prophetam tam bene de eis meritum, utpote qui totam vitam ipsorum commodis impenderat.

Quarto, quod peterent regem talem qualem habebant Gentiles, puta Persæ, Ægyptii, Medi, Chaldaei, qui, ut ait Aristoteles, lib. III *Polit.*, potes-

tatem regiam tyrannidi proximam obtinebant, ideoque eorum regnum vocat *barbaricum*, et *tyrannicum*. Duplex enim, ait Serarius, est regia potestas: « Una finita certisque legum et conventorum vinculis astricta; altera vero absoluta et quodammodo infinita, ubi pro arbitrio pene suo quilibet reges facit in subditos, et leges ipsas; sie volo, sic jubeo, etc. Est deinde magna satelliti copia, rerum omnium luxuria, successio contumina, tributorum impositio, » etc. Et hanc apud Asiaticos istos populos maxime viguisse docet ibidem Aristoteles, de qua Christus, *Luc.* xxii; *Matth.* xi; *Marc.* x: « Reges gentium dominantur, » etc.

Denique reges, excluso Dei cultu, in Israeliam invenerunt cultum idolorum, ut fecit Salomon, Manasses, Jeroboam cæterique reges Israel. Unde S. Gregorius: « Illi quidem, inquit, contra Domini voluntatem regem petierunt; sed a regia dignitate postea actum est, ut populus qui Deum abjecerat, idola coleret, simulacra adoraret. Quam reverentia ergo sint majorum consilia cernimus, si hoc sollicitè consideramus! quia qui ea despiciere ausi sunt, hoc se non providerunt agere; unde tam profundo erroris pelago demergi potuissent. »

Quocirca ipsimet Hebræi hoc agnoscentes postea dixerunt, cap. xii, 19: « Addidimus universis peccatis nostris, ut peteremus nobis regem. »

7. NON TE ABJECERUNT, SED ME NE REGEM SUPER EOS, — sicut hæc Deus regnavi, ita particularim, sollicitè et exactè eos regens, eorumque curam gerens, ac si proprius et immediatus fuisset eorum rex. Cur ergo alium regem quasi meliorem me postulant?

Moraliter, disce hic quod qui Prælatum spernit, Deum spernit, et qui illum honorat, Deum honorat. Audi S. Ignatium, epist. 6 ad *Magnes.*: « Decet, inquit, et vos obedire Episcopo, et in nullo illi refragari. Terribile namque est tali contradicere. Nec enim hunc fallit, qui videtur; sed invisibile fallere nititur, qui non potest a quoquam falli. Nam, si id fit, non ad hominem, sed ad Deum redit contumelia. Samueli namque dicit Dominus: « Non te sperverunt, sed me. »

Et S. Cyprianus, *epistola* 18: « Quomodo, inquit, possunt censuram Dei ultoris evadere, qui talia ingerunt non solum fratribus, sed et sacerdotibus, quibus honos tantus de Dei dignitate conceditur, ut in ipsis contemptis, Deus ipse contemptus censeatur, » juxta hunc locum: « Non te abjecerunt, sed me. » Porro S. Cyrillus Alexandrinus, lib. X in *Joan.* cap. xxx: « Apostolorum, inquit, vexatio in eum ascendit qui illos in Apostolatus apicem evertit. Sic enim etiam ad Samuelem de filiis Israel dictum esse didicimus: Non te, inquit, sed me contempserunt. Periculosum igitur nimium est convenientem honorem sanctis non attribuere, cum eorum contemptus in illum transeat, a quo missi sunt. » Præclare Salvianus, lib. VIII *De Providentia*: « Sacrilegi, inquit, genus est

Dei odisse cultores. Sicut enim si servos nostros quispiam cadat, in nos servorum cedit injuria; et si a quoquam filius verberetur alienus, in supplicio filii, pietas paternam torquetur: ita et cum servus Dei a quoquam læditur, Majestas divina violatur: doctæ ipsam ad Apostolos suos Domino: Qui vos spernit, me spernit. »

Allegorice Angelomus: Sicut Judæi hic abjecerunt Samuelem Judicem, sic postea abjecerunt Christum Samuelis antitypum, regem et Messiam suum, clamantes coram Pilato: « Non habemus regem nisi Casarem. »

9. PRÆDIC ETIS JUS REGIS. — Deus ut dissuadeat et deterreat Hebræos a sua postulatione regis, recenset onera gravia quæ sub eo subituri sunt. Audi S. Gregorium: « Jura hominum proponuntur contentementibus jura Dei; et his qui mitia et salubria Divinitatis consilia spreverunt, dura et importabilia humane servitutis onera prædicuntur: ut ex his secum rationem facerent, quam intolerabilia essent imperia hominis eis, quam non imperantis, quam momentis Dei consiliis obedire nolissent. »

11. HOC ERIT JUS REGIS, etc., FILIOS VESTROS TOLLERET, etc.

Quæres, an jus hoc æquum et justum sit, an vero inique et quasi tyrannice a regibus usurpatum: *Primo* S. Gregorius, lib. IV, cap. ii, et S. Thomas, lib. III *De Regim. Princip.* cap. xi, et lib. II, cap. ix, censent hoc jus esse justum non absolute, sed respectu hominum, adeo ad mala proclivium ut non tam pollice, quam despotice et tyrannice eos regi justum sit; ut hoc regimen sit jugum eorum, frenum, ac cupiditatis poma et castigatio.

Secundo, alii plures melius censent jus hoc non esse justum, sed inique a regibus usurpatum. Iniquum enim est ut rex filios subditorum, et filios a parentibus ad libitum abripiat, eosque sua faciat mancipia, ut eorum vineas, agros et olive optima auferat, illaque det servis suis: ut servos, ancillas, asinos et juvenes optimos heris adimat, eosque operi suo admoveat. Unde culpantur et morte puniuntur Achab et Jezabel, quod vineam Naboth usurparint, lib. III *Regum*, cap. xxi, vers. 19. Quare Deus hoc jus non sancit nec approbat, sed tantum prædicat: ejusque acerbitatem proponit graphiceque eorum oculis Hebræorum depingit, ut eos a petitione regis avellet. Describit ergo jus regale, non quale est apud fideles, sed quale est apud Ethnicos, verbi gratia Chaldeos, Turcas, Tartaros, ubi reges subditi utuntur quasi servis et mancipiis. hoc enim jus sibi ipsi usurpant. Audi S. Augustinum, lib. IV *De Civitate*, cap. iv: « Remota, inquit, justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia, quia ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna? » Scitum est illud: « Regum est dimidium totius, tyrannorum vero totum auferre, » quia ignorat illud Platonis, libro III *De Legibus*: « Dimidium plus toto. » Et illud: « Ut serves totum, dimidium,

alve dividuum factio. » Hebraice enim *דשש* *mispat*, id est iudicium sive ius, significat non jus proprium, sed usurpatum, puta morem et consuetudinem, licet iniquum, ut patet *Num. ix, 14*, et cap. *xxix, 6*, et *Ezod. xxi, 9*, et alibi. Denique nonnullus reges Israel hac regia potestate usos vel potius abusus esse, patet ex magnificentia curruum, equorum et mense Salomonis; unde de tribus ab eo impositis, questus apud Roboam ejus filium populus peius ab eo acceptus est, ideoque fecit schisma, *III Reg. xii*.

Porro verum æquumque jus regis fidelibus imperatori describit Deus per Samuelem inferius cap. *x, 23*, et per Moysen, *Deut. xvii*, ubi sancit quid rex Deo, quid populo, quid sibi ipsi præstare debeat. Vide S. Thomam, Bellarminum, Lipsium, Scribanium et alios qui de principe Christiano scriperunt.

Unde Clemens Alexandrinus: « Deus, ait, petenti regem populo non humanum pollicetur dominum, sed insolentem se daturum minatur tyrannum, libidinis et voluptatibus deditum. » Ita Clemens, pag. 261. Sic et Abulensis, Cajetanus, Serarius, Mendoza, Sallianus et alii. Quin et Philosophi idem censent; unde Xenophon in *Memorabil. Socratis*, lib. III: « Rex, inquit, eligitur non ut se mollior curet, sed ut per ipsum si qui elegerunt bene beateque agant. » Seneca Philosophus, libro I *De Clement.* cap. *xviii*, docet « non civium servitum regi traditam, sed tutelam. » Et cap. *xix*, addit: « Republicam non esse principis, sed principem esse Republicæ. » Hinc Homerus regem appellavit a Pastore populorum. » Et Claudianus *ad suum Honorium*:

Te civem potestque genus, tu consule cunctis,
Non tibi: nec tua te movent, sed publica dampna.

Denique Romani non ferentes Tarquinii Superbi insolens regum, reges urbe expulerunt. Audi S. Augustinum, lib. *V de Civit. Dei*, cap. *xii*: « Romani, inquit, regalem dominationem non ferentes, annua imperia binosque Imperatores sibi fecerunt: qui consules appellati sunt a consulendo, non reges, aut domini, a regnando atque dominando. » Et paulo post: « Fastus, inquit, regius non disciplina putata est regentis, vel benevolentia consulentis; sed superbia dominantis. »

13. FILIAS QUOQUE VESTRAS FACIET SIBI UNGUENTARIAS (unguentorum, id est, odorum et pigmentorum confectrices) ET FORACIAS (id est, coquas, ait Chaldaeus, que circa focum versantur. Vatablus, cupidinarias, femine enim præ viris norunt ad delicias coquere) ET PANIFICAS, id est, ut Chaldaeus, *panificas*, que panem delicatum plicant.

Præclare Clemens Alexandrinus, lib. II *Pedagog.*, cap. *viii*: « Oportet, inquit, viros imprimis apud nos unguenta non olere, sed vite probitatem. Spiritus autem feminae Christum, qui est regalis unctio, non unguenta. » Ita ille. Et S. Hieronymus, lib. II *Adversus Jovinian.*: « Odores, in-

quit, et diversa thymiamata et amomum, et muscus et peregrini muris pellicula, quod dissolutis et amatoribus conveniant, nemo, nisi dissolutus negat. » Suffragator D. Ambrosius, lib. *De Hæres. et Sectis*, cap. *x*: « Unguento, inquit, se unguat, qui corpori odoris gratiam quaerunt, sed et illa unguenta libidinis illecebras movere consueverunt. » Nervosius S. Chrysostomus, concione I *De Lazaro*: « Te, inquit, non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem. Nihil immundius animam, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim ac vestium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem atque immundum. Cum enim diabolus aggressus deliciis eviraverit animam, omnique vitiorum genere compleverit, tum in corpore suæ corruptionis lectum oblini unguentis. » Denique Diogenes Cynicus: « Cave, ait, ne capitis odor sit vite fetor. » Porro de foracis et panificis ita disserit Clemens Alexandrinus, lib. III *Pedagog.*, cap. *vii*: « Quin etiam facilem et parabilem cibum, nempe panem effeminatum; quod frumenti est nutritius, exspirantes: ut quod est alimentum necessarium, sit probum voratatis. » Et paucis interjectis: « Nullum, inquit, habet terminum delicata ingluvies. In liba enim et placentas et bellaria provecta est: merendarum et cœne appendix multitudinem inveniens. Et mihi quidem videtur homo qui est hujusmodi, nihil esse aliud, quam bucca et maxilla. »

14. EUNUCHS. — Audi de his S. Basilium, *epist. 87*: « Iguominiosum, inquit, illud, ac modis omnibus perniciosum eunuchorum genus, nec femininum, nec masculinum, insaniens in mulieres, invidiosum, vilis pretii, animo feroci effeminatum, ventri deditum, auri cupidum, sævum, inconstans, illiberale, stabularium, insatiabile, furiosum, et quod amplius dicendum est, cum ipsa statim generatione ferro damnandum. » Et paulo post fictam eorum continentiam, et apertam lasciviam exprimens: « Ibi, inquit, frustra quidem casti manent per ferrum; insaniunt vero absque fructu propter suam turpitudinem. » Hinc illud Chaldaei in *Eutropium Eunuchum et Consulæ*:

Omnia cesserunt Eunuchæ Consulæ monstra.

Et:

Tu telas, non tela pati potes.

Et:

Eunuchi quis sceptræ ferat?

19. NOLEIT AUTEM POPULUS AUDIRE VOCEM SAMUELIS. — Novum est hic populi peccatum contumacie; cuius proinde postea penas luit, ait S. Gregorius: « Magna, inquit, temeritas exstitit, contra Dei voluntatem, regem petere; magnæ duritiæ consilii Propheta vinci non posse. » Et paulo post loquens de hac herata regis petitione: « In eo, inquit, mali propositi consummatio est et inconverlibilitas voluntatis. »

21. LOCUTUS EST EA IN AURIBUS DOMINI. — Audi *Gen. ii*.

S. Gregorium: « In eorum auribus loquimur, apud quos magnæ familiaritatis gratiam habemus: sancti autem viri, quia omnipotenti Deo in magni amoris vinculo conjuncti sunt, et in auribus loquuntur: quia divine propitiationis ejus auditum tanto fiducialius exposunt, quanto apud ejus misericordiam impetrandi locum sublimius acceperunt. »

22. AUDI VOCEM EORUM, ET CONSTITUTE SUPER EOS REGEM. — Sed non talem qualem ipsi petunt, qualemque eis depinxisti, sed qualem ego descripsi *Deut. ix*, qui scilicet fidelibus subditis politice imperet, non despote: quique non suis, sed Republice commotis studeat. Deus enim iniquam Hebræorum petitionem regis ita resecat, ut quod in ea æquum est concedat, quod iniquum, neget, id est non concedat, sed fieri permittat, et fore prædicat.

Querit S. Gregorius, lib. IV, cap. 1, cur Deus concedat id quod male petitur? Respondeo, quasi petenti irascitur, eumque vult sua petitione, quasi justa congruaque vindicta plectere et castigare. Sic et S. Augustinus in *Psalm. li*: « Rex, ait, non ad permanendum electus est a Domino, sed secundum populi eorum durum et malum datus ad eorum correptionem, non ad utilitatem secundum illam sententiam; quia regnare fecit hominem hypocritam propter perversitatem populi. » *Job. xxxiv, 30*. Idem Augustinus, lib. *V Contra Julianum*, cap. *ix*, vocat Saulem « penam peccantium. » Et S. Cyprianus, *epist. 38 ad Rogatianum*: « Ut hoc, inquit, ulciscetur Dominus, excitavit eis Saul regem, qui eos ingruis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et penas, superbium populum calcaret et premeret, ut contemptus sacerdos de superbo populo ultione divina vindicaretur. »

Id duobus exemplis confirmat Anastasius Nicæus, *Quæst. xv in Script.* Prius est Phœacæ impo-

ratoris et tyranni, qui cum innocentes opprimeret, vir quidam plus Deo conquestus: « Cur, inquit, Domine, eum fecisti Imperatorem? » ab eo hoc responsum tulit: « Quis non inveni pejo rem. Alterum monachi cupidum, qui seculare civitatis creatus episcopus, eum hoc honore insolens, ab angelo conceptus audit: « Cur superbis et magnifice tibi places, o infelix? Non es creatus episcopus quod dignus sacerdote sis, sed quod civitas talis tali digna erat episcopo. » Denique audi S. Gregorium: « Petrus rex pro vindicta conceditur; magna etenim vindicta est, que ex districtione procedit interni examinis quando reproba mens sic projicitur, ut quod male deliberat, agere permittatur. Qui ergo in petendo rege Dominum abjecisse convictus sunt, dum id eis permittere tur agere, per quod a se hominum abjicerent, gravior pena non erat, qua hic plecti debissent. »

ET CONSTITUTE SUPER EOS REGEM. — Hinc patet Saulem in regem fuisse electum, et evehum non a Republica nec ab optimatibus, sed immediate a Deo per Samuelem; ac prout potestatem regiam non a Republica, sed a Deo immediate accepisse (perinde ac Pontifex, licet eligatur a Cardinalibus, tamen non ab ipsis nec ab Ecclesia, sed immediate a Christo potestatem pontificum accipit). Quare eum hac potestate Republica nulla ratione privare poterat, sed solus Deus; uti de facto ipse eum ob inobedientiam regno et vita privavit, eique sufficit Davidem. Idem dico de Davide. Hic enim non a Republica, sed a Deo per Samuelem creatus est rex, ab eoque omnem regendi potestatem accepit. Secus est de posteris Davidis. Hi enim non a Deo, sed a Republica creati sunt reges. David enim consentiente Republica ex filiis unum, puta Salomonem, ex Dei voluntate successorem in regno sibi delegit, regemque constituit. Salomoni deinde successit Roboam, quasi primo genitus; huic Abia, huic Asa eodem jure.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul, quærens asinas, reperit regnum. De his enim consulens Samuelem, ab eo concivio excipitur, poniturque in capite mensæ, qui postero mane Sauli oraculum regni a Deo acceptum ammittat. Hic igitur finiuntur gesta Judicæ (nam Heli et Samuel Patre Judicæ, æque ultimi) et incipiunt gesta Regum; hic enim status Republicæ aristocraticæ mutat in monarchicam; quare hæc est secunda pars libri, adeoque hic proprie incipiunt libri Regum.

1. Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. 2. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus; et non erat vir de filiis Israel melior illo: ab humero et sursum eminebat super omnem populum. 3. Perierant autem asinæ Cis patris Saul; et dixit Cis ad Saul filium suum: Tolla tecum unum de pueris, et consurgens vade et quære asinas. Qui cum transisset per mon-